tione successio Apostolica numquam potest deficere. Atqui ita est. Nam — *a*) Christus Dominus misit Apostolos *in universum mundum;* ad docendum *omnes gentes;* et ipsis docentibus promisit se affuturum *omnibus diebus; usque ad consummationem saeculi.* Atqui falsa haec essent si successio Apostolica posset unquam deficere — *b*) Christus, iuxta Apostolum (Ephes. IV.), dedit apostolos, pastores et doctores « ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ». Quibus verbis ordinaria ac mediata missio apostolica praedicitur duratura, donec mysticum Christi corpus fuerit plene aedificatum; ergo numquam dari possunt pastores ac doctores, qui per extraordinariam missionem, priorum defectum suppleant.

2) Ipsa missio S. Pauli, qua nonnulli abutuntur, subvertit hypothesim Novatorum. Verum enim est quod Apostolus extraordinariam quamdam missionem accepit immediate a Christo Domino; sed quia id factum est post Christi ascensionem in coelum seu post Ecclesiam in Apostolis fundatam et per eos annunciatam — *a*) Paulus remittitur ad ipsos Apostolos, aut ad alios ab iis constitutos — *b*) cum Apostolis confert Evangelium ab ipso praedicandum — *c*) ad Apostolos in Jerusalem defert quaestionem de legalibus Antiochiae ortam. Quin ergo subvertat auctoritatem Apostolicam iam exsistentem, et eius loco sufficiatur, illam potius agnoscit.

734. II. Si Deus vellet aliquos homines extraordinaria missione donare, quam omnes deberent agnoscere sub aeternae damnationis poena, illam certe talibus signis deberet confirmare, ut omnibus esset plane comperta. Iamvero signa haec sunt praecipuo miracula: his Christus ipse suam missionem ostendit; iisdem Apostolorum missio fuit confirmata, uti in prima et altera disp. demonstravimus. Nec aliter sensit hac in re ipse Lutherus, qui (tom. 2. Jenensi ad Senatum Mülhusanum scribens in causa Münzeri) ait: « Inclytus Senatus vocet Thomam Münzer ad se, et, si fieri potest, ad totam communitatem, et quaerat ex eo, quis ipsum ad praedicandum miserit, aut vocaverit? Si dicat a Deo, et Spiritu huius se fuisse missum, sicut olim Apostoli, probet hoc signis et miraculis. Nam quando Deus ordinarium modum immutari vult, semper simul miracula operatur »,

At quaenam sunt miracula Novatorum? Tentavit quidem Lutherus ex puella obsessa daemonem expellere: at tam infelici successu, ut incoepto desistere coactus fuerit, uti refert Staphylus testis oculatus. Quid dicam de miraculis Calvini? Hieronymus Bolsec testis ocularis narrat, Calvinum excitare voluisse quemdam Brulaeum, cui spe lucri ac pecuniae persuaserat, ut se mortuum fingeret; at ipsum vere mortuum invenisse. Hanc historiam ab haereticorum oppositionibus vindicat Card. Gotti (de Eccles. tom. 1. c. 2. § 6.). Hinc Erasmus (Diatribe de lib. arb.) loquens de Lutheranis: « Nullus », inquit, « illorum adhuc exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit ». Cui Lutherus (in lib. de servo Arbitrio) respondebat: « A nobis, qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent »; et Calvinus (praef. Instit.): « Improbe faciunt », ait, « quod miracula a nobis poscunt ». — Cfr. Fr. de Walenburch (tract. 8. sect. 14. seqq.).

735. *Tertia pars* non indiget hic demonstrari; nam — 1) patet ex argumentis quae indicavimus (n. 720.) — 2) ex auctoritate Patrum, quorum aliqua testimonia in hoc ipso art. dedimus - 3) confirmabitur ex testimoniis, quae pro sequenti parte thesis exhibituri sumus.

736. *Prob. quarta pars.* I. Patres, ut probarent apostolicitatem doctrinae, recursum habuere ad apostolicitatem successionis: ut vero hanc probarent, constanter ostenderunt successionem apostolicam in centro unitatis. Ita S. Irenaeus (adv. haeres. l. 3. c. 3.) ait: « Sed quoniam valde longum esset in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones: maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam praeterquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potio-

BIBLIOTECA CE

rem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae est ab Apostolis traditio ». — Cf. quae de hoc testimonio S. Irenaei erudite disserit Schrader (de Unit. Rom. p. 1. nn. 109. seqq.).

Tertullianus, postquam eadem, quae exposuimus, doctrinae capita confirmaverit, tandem (de Praescr. cc. 32-36.) extollit « Romam, unde nobis quoque », inquit, « auctoritas praesto est. Ista quam felix ecclesia! cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Ubi Petrus passioni dominicae adaequatur. Ubi Paulus Joannis (Baptistae) exitu coronatur. Ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum africanis ecclesiis contesserarit ».

S. Cyprianus (de Unit. Eccles.): « Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, inquit, quia tu es, etc... Et iterum post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas... ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit ».

S. Optatus Milev. (de schism. Donatist. l. 1. c. 2.): « Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus; unde et Cephas appellatus est: in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur: nec ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret ».

S. Ambrosius (de Sacr. l. 3. c. 7.): « Ipse est Petrus cui dixit Christus: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia ». Et: « in omnibus cupio sequi Romanam Ecclesiam ».

S. Hieronymus (adv. Lucif.) ita concludit: « Poteram diem istiusmodi eloquio ducere, et omnes propositionum rivulos uno ecclesiae sole siccare. Verum quia iam multum sermocinati sumus, et prolixitas concertationis audientium studia lassavit, brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa ecclesia permanendum, quae ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat ». Iamvero constat Hieronymo Ecclesiam antonomastice Apostolicam esse Romam; respondens enim Theophilo Patri Alex,, qui dixerat ecclesiae regulis cautum esse, ne quis a proprio episcopo divortium faceret; inquit (ep. 63. n. 2.): se sequi « Romanam fidem apostolico ore laudatam, cuius se participare Alexandrina gloriatur ecclesia ». Et disputans adversus Rufinum (l. 1. n. 4.), ita eum perstringit: « Fidem suam quam vocat? eamne qua Romana pollet Ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam responderit, ergo catholici sumus ».

S. Augustinus saepissime in eamdem scripsit sententiam; sed praesertim in psalmo contra partem Donati, et in epistola (ep. 23. n. 2.) quam ipsemet, Fortunatus et Alypius ad Generosum dederunt. Ut enim demonstret Donatistas ab Ecclesia praecisos utrimque seriem Romanorum Pontificum ad Anastasium usque pertexit; postquam autem evicerit in ea serie nullum donatistam episcopum reperiri, nullumque adesse antistitem quocum communicarent donatistae, concludit: ipsos alienos esse ab Ecclesiae aedificio, quod, auctore Christo, Romanis Pontificibus veluti fundamento incumbit. Hinc etiam (c. ep. Manich. c. 4. n. 5.) scribit: « In catholica enim Ecclesia... tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum ».

Concludimus pulcherrimis verbis Petri abbatis Cellensis, qui (ep. 23. epp. l. 6.; et ep. 10. l. 9.) ait: « Est tamen auro locus, in quo conflatur, et habet argentum venarum suarum principia, sedem Petri et curiam romanam, quae claves coeli principaliter tenet ». Et iterum: « Versa et reversa, in quolibet statu venerationis et glorificationis tecum vado, tecum sentio. Si vero extra communis monetae formam vis fabricare aliam, quam non adprobavit sedes Petri, cuius est vel adprobare vel improbare ordinem universalis Ecclesiae, pedem sisto et terminos constitutos non transgredior ». — Plura vide apud Schrader (op. cit. praesertim nn. 109-134.).

737. II. Satis ostenditur adaequata apostolicitas, adeoque ipsa apostolica Ecclesia, si inveniatur — 1) plenitudo potestatis apostolicae — quae 2) aliis valet missionem apostolicam communicare —

BIBLIOTECA

et 3) cum qua omnes communicare debent ut ad apostolicam Ecclesiam pertineant. Atqui statuta successione in centro unitatis haec omnia inveniuntur. Ergo.

Prob. min. quoad plenitudinem potestatis. Centrum unitatis in quavis societate est supremum regimen — in Ecclesia est regimen monarchicum — regimen monarchicum postulat ut auctoritas suprema apud unum indivisa resideat. Inventa ergo legitima successione in hoc uno, eo ipso invenitur plenitudo potestatis, quae utique in Ecclesia est apostolica.

Prob. min. quoad facultatem communicandi missionem apostolicam. Ad eum certe, qui iure divino possidet plenitudinem potestatis apostolicae, iure etiam divino perpetuandae in Ecclesia, pertinet illam ceteris communicare (n. 515.). Difficultas aliqua posset hic enasci ex eo, quod iure ipso divino debeant esse episcopi in Ecclesia. Sed notetur — 1) Institutionem episcoporum proprio iure pertinere ad S. Pontificem — 2) hic non tam agi de potestate ordinis, quae est immediate a Deo, quam de potestate iurisdictionis, quam principaliter significat *missio apostolica* (n. 723.) — 3) Etsi daretur (quod nos minime concedimus, ut seq. disp. patebit) iurisdictionem in episcopis esse immediate a Deo; semper ea esset penitus dependens a S. Pontif., ut omnes concedunt. Hinc proprio iure ad eum pertinet eligere ac instituere episcopos; partem Ecclesiae, quam gubernent, eis assignare; iurisdictionem limitare, suspendere, revocare, etc.

Unde Patres non dubitant asserere potestatem a Petri successore in reliquos episcopos dimanare. Sic Optatus Milev. (lib. 7. cont. Parm.) ait: « Bono unitatis B. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum *communicandas coeteris solus accepit* ». — Ante S. Optatum, Nyssenus (adv. eos qui castigat. aegre ferunt): « Nihil », inquit, « falsi aut mendacii scriptum est in evangeliis, neque Christi praedilectio exitum fallacem habet. *Per Petrum episcopis dedit claves regni coelorum* ». — S. Leo M. (ep. ad episc. Galliae, seu prov. Vienn.) sic disserit: « Huius muneris [praedicationis scilicet veritatis] sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter

collocaret, *ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet* ». Innocentius I. (ep. ad Conc. Carthag.) sic loquitur: « Scientes quid apostolicae sedi (cum omnes hoc loco positi sequi desideremus Apostolum) debeatur, a qua *ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis huius emersit* ». — Caesarius Arelatensis idem fatetur, scribens ad Symmacum Papam: « Sicut a persona B. Petri episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus, sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant evidenter ostendat ». — Et ceteris omissis, S. Cyprianus (de Unit. Eccles.) ait: « Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: *unum tamen caput est* et *origo una* ».

Prob. min. quoad necessitatem communionis cum centro unitatis. Id patet — 1) ex disputatis de unitate regiminis, quam Christus voluit in Ecclesia — 2) ex indicatis in hoc eodem artic., praesertim (n. 724.). — 3) Pro omnibus sit S. Cyprianus, qui immediate ante verba mox citata scribit: « Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. *Avelle radios solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescet; sic et Ecclesia* », etc.

BIBLIOTECA CENTRAL